

## S V M M A R I V M

- 1 **I**N quo consistat officium Secretarij Status.
- 2 Quibus personis illud conferri, seu committi soleat.
- 3 Quod ab hoc officio de facili fieri soleat transiit ad purpuram, ac etiam ad supremam thiarum, & dantur exempla.
- 4 De ratione cur id sequi soleat.
- 5 De huius secretarij adiutoribus, & ministris, & praesertim de Secretario cifrarum.
- 6 Quare hoc officium non sit in ordine hierarchico Curiae, & de collegio secretariorum.
- 7 De Secretario Breuium.
- 8 De negotijs, & gratijs quae expediuntur per hanc secretariam, & per literas in forma breuis, & de alijs, quae per bullas sub plumbo per Cancellariam.
- 9 Quae proprie dicantur breuia, & de differentia inter breuia, & bullas.
- 10 Reseruationes, & affectiones Apostolicarum beneficiorum introduci caperunt in Gallia.
- 11 De alijs expeditionibus.
- 12 De breuibus Penitentiariae.
- 13 De breuibus de capienda possessione nomine camerae.
- 14 De breuibus commissionis causarum appellationis in partibus.
- 15 De minutis originalibus, & registris breuium.
- 16 In quibus negotijs dicta diligentia non adhibeantur.
- 17 De emolumentis, quae soluantur pro expeditione breuium.
- 18 De Secretario breuium seu literarum Principum.
- 19 De Secretario memorialium eiusque munere.
- 20 Memoriale seu rescriptum in eo contentam non tribuit iurisdictionem, & quas faciat operationes.

## DISC. VII.



**F**icio Cardinalis Nepotis, de quo agitur *disc. praecedenti*, proximum est illud Secretarij Status, quod in plerisque, cum eo simbolizat, in eo praesertim quod non est in ordine hierarchico officialium, ac magistratuum Papae, & Romanae Curiae, et tamen est summam confidentiam, & auctoritatis, magnamque in Curia figuram facit, atque de facto, secundum locum occupare videtur, in ijs quae concernunt politicam, ac etiam in parte civilem, vtriusque Status administrationem, dum grauiora negotia, maioris confidentiae, cum Regibus, & Principibus, ac etiam cum Legatis, & Nuntijs Apostolicis, per hoc organum iunctum cum altero Cardinalis Nepotis pertractantur; Et quandoque, etiam in civilibus, & ecclesiasticis negotijs, Ordinarijs locorum, vel Gubernatoribus alijsque officialibus, & Magistratibus Status ecclesiastici, oracula, & mandata Papae explicantur.

Istudque officium, utpotè summam fiduciae, per nouum Pontificem pro tempore creatum, committi solet eius maiori fiduciario, [vel viro, qui apud ipsum sit magnae existimationis, quandoque in Cardinalitia dignitate constituto, ut nostra aetate praxis docuit, in Innocentio X. & Clemente IX., qui Cardinalium opera in hoc munere vti fuerunt, frequentius verò, qualificato Praelato, qui per Papam purpuram proximè destinatus fuerit, ut currentis saeculi praxis docuit in omnibus alijs Pontificatibus, etiam in actuali Clementis Decimi.]

Cum ea circumstantia, consideratione digna, quod duo Secretarij Status, vnus post alterum in statu praelaturae ad hoc munus assumpti, eoque durante, breui spatio temporis, ad purpuram euecti, fuerunt immediati successores Pontificum eos promouentium, nempe Alexander VII. qui à Nuntiatura Germaniae inferiori euocatus, per Innocentium X. circa finem Pontificatus ad hoc munus, vacatum per mortem Cardinalis possessoris, atque intra breue tempus cardinalitia dignitate donatus, eius immediatus

successor fuit in Pontificatu; Et Clementis IX. [qui post plura munia expleta, illud praesertim Nuntij Apostolici apud Regem Catholicum, & Gubernatoris Urbis sede Papali vacante, per Alexandrum ad hoc munus euocatus, atque intra breue tempus Cardinalis creatus, eius immediatus successor fuit;] idque rationaliter, quoniam cum hoc officium committi non soleat, nisi Praelatis peritis, multumque expertis in negotijs Principum, (ut etiam praxis actualis huius Pontificatus docet in qualificato Cardinali Borromeo, S. Caroli ex fratre pronepote hoc munus explete, qui ad illud in statu Praelaturae ab eadem Nuntiatura Regis Catholici euocatus fuit, cum prius quamplura alia munera exercuisset, illud praesertim Nuntij Apostolici apud Heluetios, & alterum Gubernatoris Urbis) ipsumque munus de per se magnam huiusmodi negotiorum peritiam inducat, & scholam praesferat; Hinc merito quod ab eo ad supremam sedem sit transitus.

Habet autem iste Secretarius multos in hoc munere adiutores & ministros, quorum aliqui sunt viri peritissimi in hoc munere secretarij, ac etiam probatè fidei, qui literas, ac instructiones in negotijs grauioribus maioris confidentiae scribunt, quandoque ad dictamen ipsius Secretarij, & quandoque ipso reuidente, eorum minutas seu literas preparatorias; Et aliqui sunt nudi scriptores, vel transcriptores, in quibus boni characteris peritiam habentibus, nimium commendabilis, ac existimanda est, intellectus crassities, vel imbecillitas, ut vel non percipiant, vel memoria non retineant id, quod transcribunt, ita prudenter, & commendabiliter exigente huiusmodi negotiorum qualitate; Inter ministros autem, primus ac maioris fiduciae, merito est ille, qui cifrarum interpretationi, ac respectiue compositioni est praepositus, cui Secretarij cifrarum titulus vulgò tribuitur, atque non nisi viri in hoc munere peritissimi summamque fiduciae assumi solent.

Nullam autem figuram in ordine hierarchico officialium Curiae, facit iste officialis, ex eadem rationem quae, *disc. pra-*

*cedenti* in Cardinali nepote, generali superintendente assignata est; Antiquiori enim tempore, istud munus, omniaque alia, quae per alios Secretarios, & officiales, hodie, ut infra exercentur, explebantur per Cardinalem Vicecancellarium, qui erat Secretarius Papae; Cumque excrecentibus negotijs, plures ministros in adiutorium habere oporteret, ut in hoc Secretario Status ut supra praxis docet; Hinc nimium commendabile inoleuit institutum, erigendi Collegium viginti quatuor Secretariorum Apostolicorum, qui has partes explerent, & ex quo assumi solebant Secretarij, & consularij Legatorum, & Nuntiorum Apostolicorum ad Reges, aliosque magnos Principes, atque frequenter iisdem, eorum excrecentibus meritis, ad ipsum Nuntiaturae munus assumebantur tanquam viri in politicis negotijs Principum, ac etiam in civilibus, ista occasione, versatissimi; Atque pro eorum congrua substitutione, Pontifices aliquam participationem emolumentorum Secretariae breuium, & Cancellariae Apostolicae, eis concesserunt; Sed quoniam huiusmodi emolumentorum ratione, inoleuit vsus, qui pluribus alijs officijs effectus est quoque communis, ut in Regalium sede agendo de officijs venalibus, particulariter aduertitur A, adeo ut in solo spatio meae vitae forensis, officiorum istius Collegij valor in duplo creuerit; Hinc Pontifices prudenter, & commendabiliter expedire non iudicarunt, huiusmodi emptoribus, tam ex defectu peritiae, quam fiduciae, huiusmodi negotia committere, ideoque perijt, seu euauit adeo celebris, & commendabilis schola, Nuntiorum, & Consulariorum aliorumque Sedis Apostolicae ministro- rum, qui ex isto Collegio manabant.

Idem contigit in Secretario Breuium, quoniam istud officium de iure est penes hoc Collegium, quod proinde notabilem habet participationem illorum emolumentorum, quae pro Breuium expeditione solui solent, pro eorum diuersa qualitate, & taxa; Sed quoniam est officium, quod pariter exigit magnam peritiam Canonum, & Conciliorum, & Apostolicarum Constitutionum, nec non

Se-

Sedis Apostolicæ, & Curie stylosum, ne contingat concedi ea, quæ non debent, nec solent; Idcirco Pontificum stylus est varius, quandoque scilicet assumendi vnum ex eodem Collegio, in quo vtraque qualitas prædicta peritæ ac fiducia verificetur (vt nostra ætate praxis docuit in pontificatibus Urbani VIII. & Innocentij X. in celebri Canonista, & peritissimo rerum ecclesiasticarum viro *Maraldo*, cuius aliqua vota, pro negotijs præsertim consistorialibus circumferri solent, dum prius in munere causarum Patroni, & postmodum celebris Aduocati diu versatus; aliud magnum Datarij munus sub Paulo V. & Gregorio XV. exercuerat); Et quando in Collegio virum ad id aptum, vel Papæ grati non adesse casus præbeat, tunc Alter assumi solet, sine tamen præiudicio Collegij circa participationem emolumentorum; Vnde propterea quandoque Cardinali (qui etiam Secretarius Status erat) & quandoque Auditori Papæ, vel alteri Præfato, huius muneris exercitium commendari, seu committi consuevit; Et quandoque etiam per notabile tempus, nullo existente Secretario in capite, illud exerceri consuevit per eiusdem Secretariæ primium ministrum, vel adiutorem, qui substitutus appellatur, & qui frequentius est vir in hoc ministerio peritissimus, diuque versatus, probatæque fidei, ipsa verò Breuia per hunc substitutum cifrata, vel signata, subscribi consueverunt per vnum ex Secretarijs dicti Collegij, puta per Decanum, vel per alium turnarium, pro eorum stylo, Nimirum autem rara est hæc praxis.

Per organum huius Secretarij Breuium expediuntur illæ literæ Apostolicæ, quæ dicuntur in forma breuis, signatæ, cum aliàs insinuato adeo fiduciario anulo piscatorio B, qui per ipsum met Pontificem, siue per magis intimum, probatæque fidei familiarem cum summa diligentia custoditur, istæque dicuntur literæ in forma Breuis, ad differentiam aliarum literarum, quæ sub plumbo expediuntur, per organum Cancellariæ, vt infra, istæque vocantur Bullæ, pro diuersa negotiorum qualitate, quoniam per Cancellariam sub plumbo expediuntur

literæ prouisionum ecclesiarum Metropolitanarum, & Cathedralium, aliarumque dignitatum, & beneficiorum, sæcularium, & aliquorum Regularium, ac etiam nonnullorum officiorum vacabilium, vel non vacabilium Romanæ Curie; Prout etiam dispensationes matrimoniales, & beneplacita Apostolica super alienationibus, alijsque conuentionibus honorum, & iurium Ecclesiæ, quando valor excedat summam seu redditum decem ducatorum auri de camera, & aliquæ dispensationes puta super bigamia, vel super publica irregularitate seu legitimis natalibus pro beneficijs, & dignitatibus, aut super pensionibus ecclesiasticis, cum similibus.

Per hanc verò Secretariam, atque per has litteras in diuersa forma breuis, expediuntur dicta beneplacita super alienationibus honorum Ecclesiæ infra dictam summam, decem ducatorum Cameræ in reddito, necnon dispensationes super ætate, vel super interstitijs, aut super defectu natalium, promouendorum ad ordines, non autem ad dignitates, & beneficia, cum istæ dispensationes super defectu natalium vel ratione bigamiæ, aut alterius irregularitatis vel incapacitatis, vt supra, expediuntur, pariter per Cancellariam sub plumbo; Nec non per hanc viam breuis expediuntur indulgentiæ, & aliæ similes gratiæ.

Quamplures aliæ gratiæ, etiam in grauioribus, & primi ordinis negotijs conceduntur per hanc Secretariam, atque per istas litteras, quæ dicuntur in forma breuis sub anulo Piscatoris; Nempè indulta, quæ conceduntur Regibus, & Principibus, & Cardinalibus, ac Legatis, & Nuncijs Apostolicis, nec non Dignitates, vel tituli sæculares, Principum, Ducum, & Marchionum, & Comitum; Ac magistratus & officia, tam ecclesiastica, quam sæcularia & tam ciuilia, quam militaria, nec non abolitiones delictorum, & aliæ gratiæ, vel dispensationes; Et in summa omnia ea, quæ per Papam concessa, ex regulis Cancellariæ, vel ex stylo, non exigant necessitatem literarum sub plumbo per viam Cancellariæ.

Ad illud verò, per externos generaliter aduertendum est, quod nomen, seu vocabu-

cabulum breuium Apostolicorum, non conuenit omnibus illis expeditionibus, quæ in membranibus pelliceis, vel de corio, à Romana Curia expediuntur, sed solū illis litteris, quæ per hanc Secretariam expediuntur sub anulo Piscatorio; Aliud enim genus literarum Apostolicarum, quæ expediuntur per Cancellariam, non sub dicto anulo, sed sub plumbo seu sigillo plumbeo pendente ex cordulis, diuersū habet nomen seu vocabulum, quoniā, ad differentiam istorū breuium, Bullæ nuncupantur, longeq; diuersam habent formam, tam circa species membranarum, quoniam pro breuibus in vsu sunt membranæ subtiles, & albæ, pro bullis autem membranæ magis nigre, & rudes seu grossæ, quæ etiam in caractere, quoniam breuia inscribuntur in caractere latino, nitido, & eleganti, ac intelligibili; In bullis autem retinetur antiquus stylus characteris gallici, eò quia in Gallia de tempore quo Sedes Apostolica residētia habebat in Ciuitate Auenionēsi, magis practicari cœperunt reseruationes, & affectiones Apostolicæ beneficiorum, cum expeditione bullarum, & cum solutione annatarum, aliorumque emolumentorum; Fuit etenim ista introductio Gallorum, vt de hac introductione latius infra in Cancellariæ rubrica aduertitur. C

Aliæ verò expeditiones Curie, quæ ratione qualitatis chartæ de corio, generaliter ab exteris in Curia non versantur, breuia Apostolica creduntur, & nuncupantur, (et vtinam istam credulitatem ac nuncupationem non imprimerent illi mali causidici, qui externos non informatos decipiunt, supponendo esse breuia Apostolica), sunt monitoria Auditoris Cameræ, siue inhibitiones Rotæ, aliorūq; Tribunalium, aut processus fulminati, & similes expeditiones Iudicū & Tribunalium.

Adhibetur etiam in Curia vocabulum breuium in illis expeditionibus, quas vt plurimum pro foro interno, ac etiam pro externo pro absolutionibus, à censuris, & ab aliquibus irregularitatibus, concedit Tribunal Pœnitentiariæ, sed istæ expeditiones longè

diuersam habent formam, diuersumque sigillum, adeo vt redolcant diuersitatem notoriam. D

Etiam in prouisionibus Cathedralium, & Metropolitanarum, vel dignitatum, & beneficiorum super quibus expediuntur solent, ac debent literæ sub plumbo per Cancellariam, expediuntur istæ literæ in forma breuis sub anulo piscatorio, ad certum effectum prouisionalem, ad percipiendum scilicet possessionem, etiam literis non expeditis, quia nempè expedit, ex pluribus respectibus, pro casuum qualitate, illarum expeditionem, per aliquod tempus differre; Eaque dicuntur breuia de capiendâ possessione nomine Cameræ, quæ tamen non eximunt ab obligatione expediendi dictas alias litteras, sed potius expressè ad id obligant, sub decreto annullatio gratiæ, in tra terminum sex mensium; De huius verò termini initio vel decursu quæstiones in foro audiri solent, quoniā licet in verbis dicatur à die datæ presentium, de stylo tamen, terminus currit à die pacificæ effectuationis, vt infra in huiusmodi Breuium particulari rubrica aduertitur. E

Datur quoque, circa forensia contentiosa, quædam species breuium Apostolicorum, per organum cuiusdam officialis, qui Secretarius breuium dicitur, sed est officium venale, extra Palatium, & sine assistentia apud Papam, pro illis breuibus, seu literis, quas expedire oportet, pro commissionibus vel delegationibus causarum appellationis vel restitutionis in integrum quæ extra Curiam, seu in partibus, diriguntur Episcopis vicinibus, vel Iudicibus synodalibus, aut alijs personis in ecclesiastica dignitate constitutis; Sed huius officialis inspectio cadit potius sub Tribunali Signaturæ. F

Cumque (vt præmissum est) per dictum Secretarium Breuium, maiora, & grauiora negotia Papalia expediuntur, ipsaque breuia, aliud non habeant signum authenticum, nisi subscriptionem Secretarij, & impressionem dicti sigilli piscatorij in cera rubea, de facili debili, vel amouibili; Hinc, pro certitudine expeditionis, bene prouisum est, non solum cum regi-

P. 2. Relat. G fra-

C. disc. 10.

D. infra disc. 12.

E. infra in eo disc. in quo de executione literarum Apostolicarum.

F. infra disc. 30. & 31.

stratione in libris seu registris, diligenter tentis, & custoditis (vt etiam sit de alijs literis Cancellariæ sub plumbo) sed cum minutis seu matricibus subscriptis manu ipsius Papæ, quæ per Secretarium conseruantur, pro eius indemnitate, ac etiam pro certificatione veritatis gratiæ, atque pariter suis statutis temporibus, in Archiuo Apostolico diligenter custodiuntur; Illis forsitan gratijs vel breuibus exceptis, quæ concedantur super rebus consuetis, modicique momenti, adeo vt penè nemini negentur, vnde propterea, generalis commissio seu probata fides Secretarij, ac impressio dicti anuli piscatorij sufficientes videntur; Vt (ex. gr.) sūt, breuia super dispensatione interstitiorū pro suscipiendis sacris ordinibus in tribus diebus festiuis, aut super dispensatione ætatis tresdecim mensium ad suscipiendum ordines sacros, siue quædam species indulgentiarum, quæ sub certa forma omnibus conceduntur; Pura pro altari priuilegiato in vna die hebdomadæ, & in octaua mortuorum; Aut pro indulgentia plenaria in vna tantum solemnitate totius anni alicuius Ecclesiæ, cum similibus gratijs, quæ, sub certa, & generali formula inalterabili, cuique petenti conceduntur, quoniã, cum fraudis seu falsitatis timor desuper verisimiliter nõ cadat, idcirco superflua videntur dictæ maiores diligentia; Potissimè ob huiusmodi expeditionum multiplicatam, magnamque copiam, vnde propterea, quando desideretur aliquid speciale & alteratum formulæ consuetæ, tunc dictæ diligentia intrant, pro diuersa negotiorū qualitate, diuersisque stylis, quibus in his materijs deferendum est.

Circa verò emolumenta, quæ pro sustentatione officialium, & secretariorum vt supra, soluuntur, non de facili regula statui potest, bene tamen adsunt taxæ determinatæ, non alterabiles; Siquidem pro indulgentijs, alijsque spiritualibus, nihil penitus soluitur, sed omnino gratis conceduntur, adeo vt Secretaria erogat de proprio expensas membranarum, & Scriptorum; Solumque in aliquibus casibus extraordinarijs solui solet quoddam modicum determinatum emolumentum, (forsan pro dictarum expensarum refe-

ctione); Alia verò breuia suas habent taxas, quoniam (ex. gr.) pro dispensatione super interstitijs soluuntur quatuor ducati de camera, & pro quibusdam alijs dispensationibus, vel pro beneplacito Apostolico super alienatione bonorum Ecclesiæ, cum similibus, soluuntur quinque; In alijs autem grauioribus negotijs, taxa est difformis, pro eorum qualitate sed nimirum moderata.

Quantum verò vnus ducatus cameræ importet, explicatur infra in rubrica Cancellariæ. G ad euitandum quo magis fieri potest earundem rerum repetitionem.

Alium habet Secretarium Papa, in Palatio sibi assistentem, qui officialis Aulæ 18 potius, quàm Curia, figuram facere videtur, & per cuius organum aliqua consimiles literæ in forma breuis, in pelliceis membranis eodem latino idiomate inscribuntur, super literis scilicet responsiuis, vel inuitatiuis, aut monitiuis, quæ per Papam scribantur Regibus, & Principibus, siue Principum Vicarijs, ac supremis magistratibus, vel aliquibus magnatibus, & nobilibus viris, seu magnis Prælatibus, quibus Papa ita scribere solet, cum stylis in hoc deferatur, istudque munus nil pertinet ad forensia.

Demum alium quoque Secretarium 19 in palatio, & apud se assistentem Papa habet, qui pariter Aulæ potius, quàm Curia officialis, figuram facit, isteque dicitur Secretarius memorialium, quia nempe memorialia, vel supplices libelli, qui Papæ porriguntur, per istum Secretarium statutis diebus & horis Papæ referuntur, per extensum, vel in compendio, pro negotiorum qualitate, atque eiusdem Papæ oracula vel prouisiones, in eiusdem supplicis libelli dorso per eum adnotantur, ad effectum vt desuper expediantur breuia vel aliæ prouisiones, siue quod, vbi agatur de negotijs forensibus in Curia, idem supplices libelli cū dicto rescripto ab ipso Secretario per eius ministros dirigantur, ludicibus, & magistratibus, ad quos negotia pertinet, cū vt plurimum sint rescripta excitatiua ordinariæ, vel delegatæ aliàs competentis iurisdictionis; Atque in Curia tanquam receptum circumfertur axioma, quod hæc me-

20 memorialia non tribuunt iurisdictionem ei, qui non habeat, dum iurisdictione communicari solet per commissiones, vt in Signaturæ rubrica aduertitur; Solumque de consuetudine, per hæc memorialia, seu rescripta, aliqua tribui solet maior facultas; Putà, quod Iudex ordinarius, vel delegatus non teneatur pro executione iudicati parere aliquibus inhibitionibus, quæ per debitores obtineri solent ad defatigandos creditores, ac impediendam executionem, cum similibus; Aut habilitari solent officiales, & administratores piorum locorum, vt facere valeant ea, quæ ex eorumdem locorum Statutis, vel stylis facere non possunt, Et generaliter in ijs, quæ respiciunt, potius accidentalia, quàm substantialia iurisdictionis, & potestatis, pro negotiorum qualitate, ac stylis.




De alijs Palatii Apostolici & Papæ officialibus, & ministris; Et præsertim de eiusdem Palatii Præfecto; Et de Magistro; Et de Auditore Papæ, & alijs.

## S V M M A R I V M

- 1 DE præfecto Palatii Apostolici qui Maior domus dicitur.
- 2 Quale sit eius munus, & cui personarum generi conferatur.
- 3 Est iudex omnium familiarium, & ministrorum Palatii.
- 4 Est etiam Gubernator ciuitatis Tusculanae, & Arcis Gandulphi, & qualis sit eius iurisdictione.
- 5 De Magistro eiusdem Palatii, & de eius munere.

- 6 Quod antiquitus tanquam Canonista quæque exerceret munus Auditoris.
- 7 De eius loco, vel sessione in Cappella.
- 8 De iurisdictione, & officio circa impressionem librorum, ac prohibitionem.
- 9 De alijs eius præminentijs, & prærogatiuis.
- 10 De Auditore domestico Papæ, eiusque munere.
- 11 De eodem alibi remissuè.
- 12 De Alijs Palatii officialibus, & præsertim de Præfecto cubiculi.

## DISC. VIII.

1  Ræfectus Palatii Apostolici, est tanquam quidam Gubernator dicti Palatii & rector, ac prouisor familiæ Papæ, itteque ab aliquo moderno tempore, honestiori vocabulo nuncupari cepit Maior domus, cum prius, retinendo antiquam simplicitatem, appellaretur Magister domus, vnde propterea lepidissimus Boccalinus in parnasianis discursibus, ingeniosè desuper ludit in persona eximie nobilitatis Cardinalis de Acquauina, qui sub Gregorio XIV., istud obtinuit munus, à quo ad purpuram breuicuectus fuit.

2 Est pariter munus, potius priuatum, quàm publicum seu potius aulicum, quàm curiale seu forense, iuxta Curia Magistratum hierarchicum ordinem, qui apud scriptores habetur; Adhuc tamè de facto est, munus magnæ existimationis, ac de illis primi ordinis, vt potè pro frequentiori contingentiã, ex vltimis seu magis proximis gradibus ad purpuram; Vnde propterea regulariter esse solet penes qualificados, ac emeritos Prælatos, qui per alios gradus, etiam Nuntiatorum aliorumque publicorum munerum transierint, Illeque in ordine Episcopali vel Archiepiscopali constitutus esse solet, adeo vt si per Papam ad hoc officium assumatur simplex Prælatos, ista occasione creatur Episcopus titularis in partibus. Aliquam tamen notabilem iurisdictionem habet, adeo vt speciem Tribunalis considerabilis constituat, habendo Auditorem, aliosque ministros, quoniam est (priuatiuè ad omnes alios Curia indices, & Tribunalia) Iudex in omnibus causis